



Zamolxis ille apud Getas Germanię Septentrionalis incolas natus et educatus fuit. quam primum uero per aetatem licuit, patriam relinques amore uirtutis in Italiam profectus est, cum Tarquinius Superbus Romae regnaret. Ibi uero cum Pythagorae eruditionem decantari intellexisset, se se statim ad eundem contulit, atque magnam rerum diuinarum & humanarum cognitionem ab eo acquisiuit. Diu enim ipsius auditor existens, cum eo familiariter uixit. Postea ad Aegyptios profectus est, & plurima de reb. naturalibus recōdita suis artibus adiecit. Cum itaq; multis uirtutib. & artib. ornatus in patriam reuersus esset, in summo honore ab

enīibus fuit habitus. nam prodigia, auguria, & somnia magna hominum admiratione interpretabatur. In primis docebat fugiendos & a corpore abscondendos languores, ab anima imperitiam, a uentre luxuriam, a ciuitate seditionem, a domo discordiam & intemperantiam. Disputauit etiam de immortalitate animorum, & omnes hoc modo ad uirtutes excitauit.